



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Statv Religionis Christianae, Per Evropam, Asiam,
Africam, Et Orbem Nouum, Libri IV.**

Le Mire, Aubert

Coloniae Agrippinae, 1619

Liber IV.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11108



DE STATV
 RELIGIONIS
 CHRISTIANÆ
 PER ORBEM NOVVM,
 LIBER IV.

DE ORBIS NOVI STATV
in genere.

CAPVT I.



Nte Hispanorum in No-
 uum Orbem aduentum,
 duo potentissima erant
 Regna seu Imperia illius
 Orbis, *Mexicanum & Per-
 uanum.* Apud Mexicanos
 Rex haud nascebatur, sed eligebatur, vt Im-
 perator Romanorum hodie apud Germa-
 nos. Apud Peruanos contra Rex nasceba-
 tur, &

tur, & iure sanguinis succedebat : vt apud Hispanos, Francos, & alios Europæ populos.

Cæteri porrò Noui Orbis populi nullo Regum imperio continebantur, sed vt Republicæ seu Communitates aut plurium arbitrio regebantur, aut, vt prorsus barbari, nullis legibus aut Superioribus obtemperabant. Prioris generis sunt hodie Araucani, Tucapelij, & alij apud Chilenses, qui tempore belli Ducem sibi deligunt, cæteroqui sine Duce aut Præfecto. Tales item fuerunt incolæ *Noui regni Granatensis, Guatimalæ, Florida, & Luzoniæ* insulæ in Philippinis. Posterioris generis sunt hodie pro magna parte *Brasilienses & Floridi, Chiriguana, Cunchi, Iscaycingæ, Pilcozones*, & in Noua Hispania *Cichimeci*; qui instar ferarum, gregatim vagantur, & venatione victum sibi quærunt, arcu ac sagittis instructi.

De siluestribus istis Indis agit Iosephus Acoſta, in suis libris *De procuranda Indorum salute*: quos primùm ad humanitatem ac ciuilitatem honesta quadam vi compellendos esse docet, ac deinde ad Christi doctrinam amplectendam.

Cæterùm vt apud Europæos olim Romani Imperij amplitudo, ad Euangelica Christi dogmata longè lateque disseminanda,

da, plurimùm contulit; sic per Mexicanum & Peruanum regna Hispanorum armis subacta, paucorum annorum spatio, Christiana Religio facillimè est propagata, & floret hodie quàm maximè.

Orbìs Noui seu Indiæ Occidentalis Historiam Naturalem & Moralem accuratè scripsit Iosephus Acoſta, ex Societ. Iesu, qui in ea multis annis vixit.

CAPVT II.

DE INDIAE OCCIDENTALIS,
seu Orbis Noui inuentione.

ORbem hunc verè Nouum, & veteribus prorsus incognitū, Christophorus Columbus Genuensis, Ferdinandi Magni Regis Catholici auspicijs, anno 1492. Primus detexit. Quā viā ac ratione id factum, in gratiam curiosi Lectoris paulò fusiùs explicabo.

Fortè contigit, nauem, quæ ex Hispanico littore soluerat, in Oceano summa vi tempestatis sic agitari, ac demum ad eò procul abripi, vt quàm longissimè inter Occidentem & Meridiem progressa, ventis aduersis ad nouam omnibus tunc ignotam & inaccessam insulam deferretur. Ea deinde, vt præpotenti Deo visum est,

tot

tot iniurijs cœli fracta, marisq̄ue difficul-
tatibus oppressa, & omnium rerum indi-
ga, *Maderam* celebrem insulam, paucis at-
tamen, ex omnibus quos illa vexit saluis,
appulit. Inter quos superstites nauæ quidã,
in primis nauis ipsi gubernator, fuere.

Christophorus ergo *Columbus*, prouincia
Ligur, vrbe, vt aiunt, *Genuensis*, qui tum
Maderam inhabitabat & nauigandi scien-
tiam probè caiebat, has hominum è nau-
fragio reliquias hospitio perquam huma-
niter excepit, domique fouit. Interim eo-
rum casus & errores toto mari tam varios,
& quæ ad vniuersam eam nauigationem
præcipuè spectabant, diligenter ab ijs, &
à gubernatore nauis, perscrutatus est. A quo
gubernatore situm nouæ incognitæq̄e illi-
us insulæ, additis etiam longitudinis latitu-
dinisq̄ue gradibus, & quæ de eius incolis
compererat, didicit.

Exactis aliquot pòst diebus, ij nauæ &
gubernator, maximè propter morbum
quem ab inedia, tum grauissimis alijs in-
commodis, diuturna longaq̄ue illa nau-
igatione contraxerant, omnes è vita deces-
sere. Hic gubernator sua illa naui primus
omnium *Indiam* detexit ac repperit, neque
tamen eius nomen superest inuidia fortè
suppressum, neque patria est, nota.

Colum-

Columbus igitur, acris ingenij iudicij
 que vir, omnia quæ ab illorum ore, tum
 scriptis, & indicibus chartis cognouerat, in
 primis repertam nouam illam insulam ani-
 mo secum repetens, ac fursum deorsumque
 voluens, sæpeque ac multum de his multa
 meditans, eò sensim deuenit, vt firmis Geo-
 graphiæ rationibus, peregrinationumque
 & nauigationum experientia instructus,
 perpensa secum vltimæ Hispaniæ & extre-
 morum Orientis finium distantia, Ocea-
 ni que interlabentis vastitate, fieri non posse
 putaret, vt ultra centesimum & septuagesi-
 mum longitudinis gradum, nullis prorsus
 interiectis terris, sese Oceanus porrigeret.
 Accedebant Platonis, Aristotelis, Senecæ-
 que, tum aliorum doctorum virorum reli-
 cta ad expendendum Cosmographis argu-
 menta & coniecturæ, quibus alias in hoc
 Oceano continentes terras, alias item insu-
 las, illi reperiri contendebant. Has autem
 terras se, si classe & necessarijs rebus iuua-
 retur, detecturum sibi persuaserat atque
 promittebat.

Quas cogitationes primùm seriò ac sup-
 plex Ferdinando Regi non semel exposuit.
 Postquam fidem non faceret, eas cum Ioan-
 ne Lusitaniæ Rege, cui Emanuel successit,
 fertur communicasse, deinde cum Regibus
 Angliæ ac Galliæ, cum cæteris denique Prin-

Principibus viris, quos vel auctoritate, vel potentia præ reliquis valere credebat. Nemini omnium tamen sic persuasisse dicitur, vt opem ipsi aliquis, quam ad eam nauigationem poscebat, & necessariam esse ostendebat, adferre voluerit, quòd rem fortè non caperent. Quare tam alta abstrusaque eius consilia diu iacuere.

Tandem Ferdinandus Rex, confecto decennali bello Granatensi, nouarum rerum laude studijque excitatus, & Columbi constantia propè victus, octauo demum anno per benignè ea, quæ ad nauigationem illam explorandis ijs locis faciendam pertinebant, suppeditauit. Pecuniam *Ludouicus Sanctangelus* Regiarum rationum scriba Columbo numerauit. Erat septemdecim tantum millium Ducatorum, eamque is Regi, propter Granatense bellum exhausto, mutuam dederat. Sed tantilla pecunia tantum postea ei Regi ex India Occidentali auri argenti que tulit, vt summa præter margaritas & gemmas, quæ innumeræ fuerunt, sexaginta, vt vocant, Millionses feratur excessisse. Itaque Rex Columbum Oceani maris & Indiæ Præfectum creauit, ei que decimam in ea partem prouentuum suorum adtribuit.

Hic igitur à Gadibus soluens, in Occidentemque per insulas Fortunatas, quæ
vul-

valgò *Canaria* dicuntur, cursum tenens, in insulam quandam incognitam adpulit, cui nomen *Guayahana*, seu *Guana mi*, haud procul à Cuba. Vlt. à dein progressus in alias delatus fuit. Priorem enim hanc nauigationem ter repetens, ignota quæcumque loca potuit, etiam eas, quæ torridæ zonæ subiacent, plagas, non tamen sine magno vitæ periculo, perlustravit; Cubam, *Isabellam*, *Hispaniolam*, *Jamaicam*, *Terram firmam* & *Pariam* inuenit.

Vbi ergo res tentata successisse visa est, *Pinzonus*, vti scribitur, inter rei maritimæ duces haud infimus, *Columbiq̃ue Socius* nouas etiam terras quærere & inuentas integrè lustrare cœpit, *Petrus* item *Alfonius*, & alij *Mexicanum regnum* *Ferdinandus Cortesius*, magnis gestis bellis clarus, adiecit. *Franciscus Pizarus* demum, cui vitæ fuit exitus infelix, *Carolo Quinto* nouum istud *Noui Orbis imperium*, *Peruanis regionibus* aditis, ampliauit.

Sic ferè *Ioannes Metellus* & alij rerum *Indicarum* scriptores. Itaque *Nouus hic orbis*, à *Columbo Genuensi* anno *millesimo quadringentesimo nonagesimo quarto*, sumptu *Ferdinandi Castellæ Regis* inuentus (nam præter insulas, ipsam quoque

que continentem, vbi est Paria, is primus detexit) falsò à plerisque dicitur America; cùm Americus Vespucius, Florentinus, auspicijs Portugallæ Regis non ante annum millesimum quadringentesimum nonagesimumseptimum, nauigare cœpetit, & Brasilæ littora anno 1501. demum lustrarit.

CAPVT III.

DE BARLOVENTANIS INSVLIS,
Cuba, Hispaniola, Portu diuite, &
Iamaica.

QVatuor istas Orbis Noui insulas, cognomento Barlouentanas, anno millesimo quadringentesimo nonagesimo secundo Christophorus Columbus, Ligur, Ferdinãdi & Isabellæ, Regum Castellæ, auspicijs detexit ac subegit. In Cuba insula est vrbs *S. Iacobi*, sedes Episcopi, & *Hauana*, emporium ac nauale celeberrimum. Primum Cubæ Episcopum dedit Leo X. Papa, teste Petro Martyre ab Angleria Decadis 2. lib. 8.

In Hispaniola insula est Dominocopolis, siue Vrbs *S. Dominici*, quam dignitate primùm Episcopali Leo Decimus, post Archiepiscopali Paulus Tertius anno 1543. decorauit.

In

In insula S. Ioannis de portu diuite est item Ecclesia Cathedralis, à Leone X. instituta, Dominicopolitanæ suffraganea.

In Iamaica insula illustre est Canonico-
rum Collegium : qualia plurima sunt per
Indiam Occidentalem, in Ecclesijs præ-
sertim Cathedralibus, à Regibus Catho-
licis fundata.

CAPVT IV.

ECCLESIASTICA ET POLITI-
ca Orbis Noui guberna-
tio.

ORbis Nouus in duas ingentes penin-
sulas diuiditur, angusto inter se isth-
mo, ad Panamam & nomen Dei,
cohærentes: quarum altera ad Septemtrio-
nem, altera ad Austrum longissimo tractu
porrigitur.

In parte Septemtrionali est regnum Me-
xicanum, in Australi verò Peruanum. Ita-
que duos in Orbe Nouo Proreges consti-
tuere solet Rex Catholicus, quorum vnus
Mexici in Noua Hispania, alter *Lime* in re-
gno Peruano aulam sedemque habet.

In Noua Hispania seu regno Mexicano,
quinque sunt Tribunalia (Audientias Re-
gales vulgò nuncupant) ad ius dicendum
tam

tam Hispanis quàm indigenis : videlicet Mexicanum, Dominicopolitanum, Guatimalense, Guadalaxarense & Panamanum.

In tractu Peruano sunt totidem, videlicet Limense, Imperiale in ditione Chilensi, Platense, Quitense, & S. Fidei Bogotanium in Nouo regno Granatensi.

Ad politiam Ecclesiasticam quod attinet, sunt in orbe Nouo quinque Archiepiscopatus, videlicet Mexicanus, Dominicopolitanus, Limensis, & S. Fidei, in Nouo regno Granatensi.

MEXICANO ARCHIEPISC.

sunt hi suffraganei,

*Mexican^s
Archiep.*

Tlaxcalensis prouinciæ Episcopus, in vrbe Angelopolitana residens. *Tlaxcala, Puebla de los Angeles.*

Mechuanus, in vrbe Vallisoletana residens, *Mechoacan, Valladolid.*

Guaxacanus, in vrbe Antiquera residens. *Guaxaca. Antequera.*

Guadalaxarensis, in Prouincia Nouæ Galiciæ, huc translatus ex Xalisco seu Compostella opido, an. 1566. *Guadalaxara.*

Guatimalensis, in vrbe S. Iacobi Equestris. *Guatimala. Santyago de los Caualleros.*

Iucatanus, in vrbe Merida residens. *Iucatan, Merida.*

○

Chiap-

Chiappensis, per Paulum III. institutus anno 1547. *Chiappa.*

Hondurensis, in vrbe Truxillensi residens.

Honduras, Truxillo.

Veræ Pacis.

Vera Paz.

Nicaraguensis, in vrbe Legionensi residens, anno 1547. institutus. *Nicaragua, Leon.*

Archiepiscopatum porrò Mexicanum, vt & Dominicopolitanum ac Limaensem anno 1547. Paulus III. Papa instituit, petente Carolo V. Imp.

*Domi-
nicopolit-
anus.*

Vrbis S. DOMINICI Archiep. in Hispaniola insula, hi subsunt Episcopi,

Insulæ S. Ioannis de portu diuite Episcopus, per Leonem X. institutus. *S. Iuan de puerto Pico.*

Cubæ insulæ Episcopus, per eundem institutus, in vrbe S. Iacobi residens, qui & Hauianzæ opido præest. *Santiago de Cuba.*

Venezolanæ prouinciæ Episcopus, in vrbe Coro residens, nisi fallor. *Venezuela, Coro.*

His additur à quibusdam Episcopus Margaritæ, seu S. Iacobi *de las Caracas*: quem alij referunt ad prouinciam S. Fidei Bogotanæ.

Ad Prouinciam Dominopolitanam spectat quoque Abbatia Iamaicana, quæ est illustre Canonorum Collegium, in Iamaica insula residens.

LIMENSI SEV CIVITATIS RE- *Limensis.*
 gum Archiepiscopo hi suffragantur
 Episcopi,

Cuscensis, per Paulum III. anno 1547. insti-
 tutus. *Cuzco.*

Arequipensis, per Paulum V. *Arequipa.*

Trugillensis seu Truxillensis, per eundem.
Truxillo. Est alius à Truxillensi Episco-
 po, in prouincia Hondurensi.

Guamanganus, per eundem. *Guamanga.*

Quitensis, per Paulum III. *Quito.*

Haecenus de Archiepiscopatibus per
 Paulum III. Papam institutis : restant
 duo, per Paulum V. instituti, videlicet *Pla-*
tenfis & *S. Fidei de Bogota.* *Platensis.* quidem
 Archiepiscopus in prouincia Charquensi
 residet, & inter cetera opida praest Potofi-
 no, longè amplissimo ac ditissimo : sunt que
 Episcopi suffragantes isti;

Barancanus. *Baranca, en la prouincia de San-*
ta Cruz de la Sierra.

Pacensis, per Paulum V. *Ciudad de la Paz,*
en la prouincia de Chuquiago.

Tucumanus, in vrbe sancti Iacobi Esteren-
 sis residens. *Santiago del Estero, en la pro-*
uincia de Tucuman.

Boni Aeris. *Buenos Ayres de Rio de la pla-*
ta.

Panamanus. *Panama*, vrbs in isthmo sita, ex
opposito Nominis Dei.

Chilensis Prouinciæ Episcopus, in Vrbe
S. Iacobi residens, per Paulum V. *San-
tiago de Chilo*.

Imperialis vrbis Episcopus in Prouincia
Chilensi. *La Imperial*.

Affumptionis vrbis Episcopus in Prouin-
cia Platenfi. *Nuestra Sennora de la Asum-
pcion*.

Parugaianus. *Parguay*.

S. Fidei. Vrbs S. FIDEI de Bogota in Prouincia No-
ui regni Granatensis sita, habet Archie-
piscopatum, per Paulum V. institutum:
cui subsunt isti Antistites,

Popaianensis, per Paulum III. an. 1547. *Po-
payan*.

Carthaginensis, in vrbe & portu celeberrimo
Carthaginensi. *Carthagena*.

Vrbis S. Marthæ Episcopus, per Paulum V.
institutus. *S. Martha*.

His adiungitur à quibusdam Margaritæ E-
piscopus. De Maniliensi Archiep. in Phi-
lippinis insulis, suprâ diximus.

CAPVT V.

DE REGNO MEXICANO, SEV
Noua Hispania.

Mexicanum regnum olim, vt dixi, e-
lectiuum fuit: cuius quidē postre-
mus

mus Rex *Moteczuma*, subactus fuit à Ferdinando Cortesio; adiutãribus Tlascalæ provinciæ populis, qui capitalia cum Mexicanis odia exercebant. Quo factum, vt hodieque Tlascalenses ab omnibus vectigalibus sint liberi.

Sic apud Peruanos, post mortem Regis *Guamacapa*, cum filij eiusdem *Atagualpa* & *Gascar* bello inter se de regno contenderet, & vterque Hispanos sibi amicos reddere conaretur, facili negotio Franciscus Pizarus totum regnum occupauit.

Mexicum porrò, olim *Tenoxtitlan* ab incolis vocatum, Venetiarum instar, medios inter lacus situm, Nouæ Hispaniæ metropolis est, Proregis & Archiepiscopi sedes ordinaria.

CAPVT VI.

DE PERVANO REGNO.

PERUUIA, regio Orbis Noui cultissima, & auri fodinis censetur ditissima, à Francisco Pizarro an. 1525. detecta: cuius metropolis est Lima vrbs Archiepiscopalis, ab eodẽ Pizarro anno 1535. condita.

Situm habet Peruana ditio ad mare Pacificum, ad quod, auspicijs Emanuelis Lusitaniæ Regis, anno 1520. *Ferdinandus* Magellanes Lusitanus ex Oceano, per

*Fretum
Magella-
nicum.*

fretum à se dictum Magellanicum, ingenti ausu, primus penetrauit. Idem postea fretum *Franciscus Dracus*, & *Thomas Candischius*, Angli, *Oliuarius Nortius* & *Georgius Spilbergius*, Belgæ, transnauigarunt: sed magno omnes cum periculo, & non nisi duorum, trium, aut etiam plurium mensium spatio impenso.

*Fretum Le-
mairianum.*

Anno 1616. fretum nouum, octo circiter milliaribus latum, quod tribus supra Magellanicum gradibus, nimirum quinquagesimo sexto gradu situm est, naues duæ Batauæ, ab *Isaaco Lemairio*, alijsq; mercatoribus Societatis Australis, instructæ detexerunt, & facillima vnus atq; alterius diei navigatione transmiserunt; ductore *Guilielmo Schouteno*, patria Hornano.

CAPVT VII.

DE NOVO REGNO GRANATENSIS.

HVius regni metropolis est Vrbs *S. Fidei de Bogota* nuncupata, ad discrimen alterius opidi, in Prouincia *Paraquaiæ* siti, quod simpliciter *S. Fidei* dicitur, & habet insigne Collegium Societatis Iesu.

Bogotana *S. Fidei* ciuitas habet Archiepiscopum, cui *Popaianensis*, *Carthaginien-*
fis,

sis, & Marthensis Episcopi suffragantur. In eadem vrbe sedem habet Tribunal Regium illius Prouinciæ, itemque Collegium Soc. Iesu, cum Seminario S. Bartholomæi.

CAPVT VIII.

DE CHILENSI PROVINCIA.

EST ea sita ad mare Pacificū haud procul à freto Magellanico, cuius caput censetur Vrbs *Imperialis*, Tribunalis Regij Sedes. In qua Vrbe Paulus V. Papa Episcopum quoque constituit, vt & in vrbe S. Iacobi, eiusdem Prouinciæ.

CAPVT IX.

ORBIS NOVI GYMNASIA, ET
familia Religiosa.

IN Orbe Nouo duæ sunt Academiae seu vniuersitates, in quibus discipline omnes & sublimiores à Professoribus Regijs, more Europæorum publicè explicantur, nimirum *Mexicana & Limensis*.

Habent item Patres Soc. Iesu sua passim gymnasia, in quibus iuuentutem optimis & litteris & moribus imbuunt.

Sunt autem in Orbe Nouo sex diuersæ Religiosorum hominum familie seu cõgre-

gationes, Euangelicæ prædicationi operam ferio nauantes: videlicet Dominicani, Franciscani Augustiniani, Mercenarij Patres Soc. Iesu, & Carmelitæ Discalceati. Singulis sua sunt monasteria, conuentus ac prouincia.

Præter Religiosorum istorum hominũ coetus, sunt quã plurimi per Indiam Occidentale clerici ac sacerdotes, vt vocant sæculares; plurima item Canonicorũ Collegia, vt in Europa, Decani, Archidiaconi, Primitierij & aliorum ordinum dignitatibus condecorata; quæ Reges Catholici fundarunt ac dotarunt.

CAPVT X.

COLLEGIA SOC. IESV IN INDIA Occidentali, seu Orbe Nouo.

QUæ sit Christianæ Religionis per Orbem Nouum amplitudo, ex Catalogo Collegiorum Soc. Iesu subiuncto facile quiuis intelliget.

In India Occidentali Prouincia sunt quatuor.

PROVINCIA PERUVANA.

	Colleg. Limense.		
Lima	} Domus Probat.	} Lima.	
			} Seminarium Limense.

Colle-

Collegium Cuzchense.	Cuzco.
Collegium Potosinum.	Potosi.
Collegium Platense, seu Chuquisaquense. <i>De la plata.</i>	
Collegium Pacense.	De lapaz.
Collegium Guamanganum.	Guamanga.
Collegium Quitense.	Quito.
Residentia lulensis.	Iuli.
Residentia sanctę Crucis de la Sierra. <i>S. Cruz de la Sierra.</i>	
Residentia Orruri.	Orruro.

Sunt in hac Prouincia Socij 370.

PROVINCIA PARAQVAVIAE.

Collegium Chilense.	Chile.
Collegium Assumpt.	De la Assumption.
Collegium Cordubense.	Cordoua.
Collegium sancti Michaelis Tucumanensis. <i>De S. Miguel de Tucuman.</i>	
Collegium Conceptionis.	De la Concepcion.
Collegium Mendozanum.	Mendoza.
Collegium sanctę Fidei.	De santa Fee.
Residentia Boni aeris.	Buenos Ayres.
Residentia S. Iacobi del Estero. <i>Sant Yago del Estero.</i>	

Sunt in hac Prouincia Socij 116.

PROVINCIA NOVI REGNI
Granatensis.

In S. Fi-	} Collegium S. Fidei. } Sem. S. Bartholomæi.	} Santa } Fee.
de		
Collegium Carthaginense.		Cartagena.
Residentia Panamana.		Panama.
Domus Probat. Tungenfis.		Tunja.
Residentia Caxicana.		Caxica.

Sunt in hac Prouincia Socij 100.

PROVINCIA MEXICANA.

Mexici	} Domus Professa. } Colleg. Mexicanum.	} Mexico.
Collegium Guaxacanum.		Guaxaca.
Collegium Guadalaxarensis.		Guadalaxara.
Collegium Angelop.		Puebla Delos Angeles.
Collegium Vallisoletanum.		Valladolid.
Collegium Pasquarense.		Pazquaro.
Collegium Tepozotlanum.		Tepozotlan.
Collegium Guatimalense.		Guatimala.
Collegium Zacatequanum.		Zacatecas.
Collegium Meridanum.		Merida.
Residentia	} Veræ Crucis. } Cinaloensis. } Guadianæ.	} Vera Cruz. } Cinaloa. } Guadiana.

Sunt in hac Prouincia Socij 340.

CAPVT XI.

BRASILIAE CONDITIO,
& status.

BRasilia pars orbis noui, à duobus ab
 AEquatore gradibus, ad quinque &
 quadraginta gradus in Austrum ex-
 currit. Regio amœna est, coelo admodum
 iucundo ac salubri: scatet vbi que fontibus &
 fluuijs, saccari in primis ferax, & omnis ge-
 neris animantium. Pro pane satiuis radici-
 bus, quas *Mandiocam* appellant, in farinam
 reductis vtuntur: Ex ijsdem vel ex milio, aut
 varijs pomorum generibus, vinũ cõficiunt.
 Vites tamen alicubi triticumque inuectum
 feliciter videas adsurgere.

Gens ipsa nullos colit Deos, ominibus tã-
 tum & augurijs ad insaniam dedita. Nudi e-
 que viri ac scœminæ prorsus incedunt, nisi
 quod frigidiore coelo bombicinis scœminæ
 vestibibus vtantur. Infertos habent iam inde
 à prima ætate, deliciarum causa, inferiore
 dumtaxat labro, nonnunquã etiam facie to-
 ta, prelogos nullius ferè pretij lapillos, turpi
 sanè spectaculo. Sparsis domicilijs, ac paga-
 tim ferè habitant, nullo Magistratu ac legi-
 bus constricti. Gregatim peregrinantur, or-
 dine simplici, vxore virum anteeunte. Con-
 nubia

nubia apud singulos plura, nec amore aut beneuolentia diuturniora, quibus in odium versis, aut coniugij satietate restinctis, ipsa quoq; matrimonij vincula relaxatur. In rebus à terra suspensis ipsi cubant, ad noxia animalia vitanda. Numerandi rationes ac litteras prorsus ignorant. Si quos in bello capiunt, multa cura fagināt, ac demum macerant & edunt. Quæ quidem optatissimæ Brasiliensibus epulæ esse solent.

Anno 1549. Ioannes Lusitanie Rex, opera Thomæ Solæ Prætoris, urbem nouam, cui postea *S. Saluatoris* nomen est inditum, in Brasilia condi iussit. Sita est ea ad *Bayam*, quam vocant *omnium Sanctorum*. Cæterum *Bayæ*, tametsi Hispanis idem est quod finis maris, & ora ad illum maritima: obtinuit tamen vsus in Brasilia, vt hoc nomine ob eius *Bayæ* nobilitatem finis & ager, in quo sita est noua ista vrbs *S. Saluatoris*, & vrbs interdum ipsa significetur.

Anno 1552. primus Brasiliensibus datus est Episcopus *Petrus Ferdinandus*, qui vrbis *S. Saluatoris* propriè Antistes, reliquæ autè Brasiliensis Prouinciæ Commissarius generalis (vt & successores) deinceps est cognominatus. Is Metropolitanum suum agnoscit Archiepiscopum in Lusitania Olisiponensem.

Societatis Iesu Patres anno 1545. in Brasiliam

liam primùm penetrarunt, & habent hodie Collegium in signe in vrbe S. Saluatoris, siue Baya omnium Sanctorum; alterum Pernambuci, & tertium in opido, quod flumen Ianuarij dicitur: præter Residentias (vt vocant) aliasque domos insuper sexdecim. Sic vt ducenti circiter Socij, in procuranda Brasiliensium salute, magno cum fructu hodie laborent.

CAPVT XII.

COLLEGIA SOC. IESV
in Brasilia.

QVoniam aliorum ordinum Religiosorum cœnobia mihi sunt ignota, ad ostendendum Religionis nostræ apud Brasilienses statum, Collegia ac Residentias Soc. Iesu in ea Prouincia subnectam.

IN BRASILIA PRO-
uincia vna.

Bayæ	}	Colleg. Bayense.	}	Bayæ.
		Resident. S. Spiritus.		
		Resid. S. Ioannis.		
		Resid. S. Antonij.		
		Resid. B. Virginis.		
		Domus Ilhæorum.		Per]

Pernam- buci	{	Colleg. Pernambuc.	}	Pernam- buco.
		Refid. B. Virg. com.		
		Refid. S. Andreæ.		
		Refident. S. Mich.		
		Refid. S. Ioan. Bapt.		
	{	Refident. Maranha.	}	
Flumi- nis Ia- nuarij	{	Col. Flum. Ianuarij.	}	Rio de Ianeiro.
		Refid. S. Barnabæ.		
		Dom. Spiritus sancti.		
		Refid. S. Ignatij.		
	{	Refid. B. Virg. Afsu.	}	
Domus Piratiningæ.				Piratininga.
Domus Sanctorum.				Dos Santos.

Sunt in hac Prouincia Socij 180.

De Brasilia Petrú Maffeiū & alios rerū
Indicarum scriptores consulat, plura qui
volet. Mihi breuitatis studio suffecerit,
statum Religionis nostræ in hac pro-
uincia, vt & in alijs suprâ,
fideliter indi-
casse.

FINIS.

IN-